

sis, de cetero nunquam inpetant ecclesiam sancti Thomae in Lipzk nec inpeti procurant per se vel per suos in personis eam inhabitantibus aut in rebus vel in bonis eidem attinentibus universis aequaliter nec molestant. Cuius compositionis seu concordiae et promissionis super ea habitae sive factae testes sunt fideles nostri Hermannus Hireus, Heyno Wadere, Conradus de Maschuize, Heino de Scepelin milites, Didekinus Musolp, Jenkinus de Maskuize, Vlicus Stephene, Hermannus Praediuēs, Bertoldus celerarius, Conradus Schenkel, Theodericus de Acie et viri alii quamplurimi fidedigni. Ut autem huiusmodi compositio sive sona rite et rationabiliter ordinata rata et inviolata praesenti et futuro tempore firmiter et integre perseveret, praeposito et conventui ecclesiae sancti Thomae in Lipzk praesentem paginam desuper confectam dedimus sigilli nostri et civium nostrorum in Ylburg appensionibus roboratam. Datum et actum Ylburg anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto pridie Kal. Julii.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem zerbrochenen Siegel Otto's von Ilburg und dem Stadtsiegel an Pergamentstreifen.

No. 42. 1294. 20. Dec.

*König Adolf bestätigt die Freiheiten, Rechte und Besitzungen des Klosters, insbesondere auch die jährlichen Bezüge von fünfzehn Talenten aus der Münze.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Adulfus dei gratia Romanorum rex semper Augustus omnibus in perpetuum. Si ad ecclesias et loca deo dicata benigne dirigimus aciem mentis nostrae et eorum profectibus intendimus diligenter, non solum aeternae retributionis merita sed et laudis praeconia consequimur temporalis. Universis igitur volumus esse notum, quod nos considerantes honestam vitam et religionem laudabilem praepositi et canonicorum regularium ordinis sancti Augustini monasterii sancti Thomae apostoli in Lipzk Mersburgensis diocesis omnia privilegia gratias concessiones et iura ab illustri Theoderico quondam marchione Misnensi et Orientali fundatore eiusdem monasterii sancti Thomae in Lipzk dictis praeposito et canonicis regularibus tradita et indulta nec non a divis imperatoribus Romanis Ottone et Friderico nostris antecessoribus approbata et confirmata sicut rite et provide sunt indulta et concessa ad instar eorundem praedecessorum nostrorum ratificamus approbamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Omnia etiam bona dictorum canonicorum regularium, quae inpraesentiarum rationabiliter tenent et possident et quae inposterum iustis modis poterunt adipisci, ipsis auctoritate regia confirmamus, volentes praeterea et specialiter indulgentes, ut praedicti canonici regulares redditus quindecim talentorum ipsis a praedicto fundatore eorum suisque successoribus de moneta deputatos in Lipzk annis singulis imperpetuum colligant et recipiant absque impedimento quorumlibet pacifice et quiete. Huic nostrae confirmationi intererant venerabiles Ericus archiepiscopus Magdeburgensis, Arnoldus Babenbergensis, Heinricus Brixenensis, Bruno Nuwenburgensis et Heinricus Mersburgensis ecclesiarum episcopi, illustres Otto illustris quondam Johannis marchionis Branden-